Martii abiit versùs Mediolanum, equitans cum centum equis. Eodem Anno (& tempore) inventus est quidam Fons de Rivo Sancti Georgii per canones plumbeos subterraneos per Pontem petræ usque ad Aulam, & Viridarium Magnifici Domini Cansignorii de la Scala, deinde ad Capitellum (Veronæ), & postmodum per diversa loca civitatis Veronæ.

MCCCLXXIV. Magnificus Dominus Cansignorius (de la Scala) morte naturali decessit. Qui Dominus Cansignorius ante mortem ejus fecit interfici Dominum Paulum Albuinum ejus fratrem, qui erat (in carceribus) in Pischeria per tres dies ante obitum ejus, ut filii ejus naturales, videlicet Dominus Bartholomæus, & Antonius (fratres) dominarentur in Verona. Relaxati fuerunt de carceribus Cōmunis Veronæ omnes, qui carcerati erant pro tractatu Domini Pauli Albuini. Eodem Anno Magnificus Dominus Dominus Cansignorius de la Scala fecit fieri Pontem Navium, & Granaria à Canipa Milei, quæ sunt penes Portam Braidæ usque ad Turrim Paleæ, subtractâ Canipâ Milei, & Canipâ Rofioli, quæ ante fuerant ædificatæ. (Die autem Jovis XIV. Octobris) ante mortem Domini Cansignorii facti fuerunt Domini Generales civitatum Veronæ, & Vincentiæ &c. Domini Bartholomæus, & Antonius fratres de la Scala filii (naturales) de voluntate, & consensu totius Populi Veronensis super Capitello Communis Veronæ. Et Dominus Bartholomæus fecit interficere Dominum Antonium de la Scala ejus fratrem morte pessima. Et post paucum seu modicum spatium temporis Dominus Franciscus Novellus de Carraria
B accepit Veronam dicto Domino Bartholomæo. Et sic finivit Dominium illorum de la Scala, qui mutuò se interfecerunt &c. Et sic finis ipsorum est.

Explicit Tractatus.